

Deliter permanendo proficiant. In regula quoque fructuosi
episcopi inter alia sic precipitur. Nec quisquam e monachis
suum asserens, dicat codex meus, tabule mee, et reliqua. Quod
verbum si de ore eius effugerit: penitentie subiacebit: ne ve
lut propria quilibet in monasterio habere videatur: sed sint
illis sicut scriptum est, omnia communia. Hinc in religione
nostra apud reformatos obtinuit: ut suum dicere aliquid
etiam ioco deuotus nemo presumat. Et in octauo capitulo idem
fructuosus iterum sic precipit. Auditas et parsimonia ciborum:
et lectulorum duricia amplectatur. Peculiaritas in
utensilibus, aut in vestimentis, aut in quibuslibet rebus
etiam vilissimis et abiectis omni modo vitetur: quia abominatio
monachis est: et infamium quicquam possidere.
Nullus denique quodlibet siue epistolas: nemo monachus
accipiat. Denique in regula cenobii sancti ferreoli episcopi
et martiris decimo capitulo sic scribitur. Illud etiam statui
debere prospeximus: ut nullus monachorum aliquid
sibi proprium absque societate fratrum audeat dicere: ita ut
etiam in his que sua sunt nihil amplius credat sibi iuris
esse quam ceteris: quia cum seipsum alterius subdidit potestati:
omnia secum in alienam potestatem transiit. Quicquid
ergo secum rerum detulerit expetito consorcio monachorum, ac
ubi corpori congregationis membrum factus adhaerit: statim
cognoscat omnia in communione transisse. Et hoc tantum
iudicet proprium: quicquid cum fratribus possederit indiuisum.
In regula quoque sancti aureliani episcopi, xxv. capitulo dicitur.
Nullus presumat quicquam suum dicere: aut sibi proprium ven
dicare: sed secundum actus apostolorum, sint vobis omnia communia:
et sit vobis anima una et cor unum in domino. Et in regula
abbatis cassiani dicitur. Nec quicquam peculiare liceat mona
cho possidere: sed ita se nudatum ex omni parte cognoscat: ut
propter tunicam, pallium, calciarium, vel mattulam suam nihil am
plius habeat: et nec verbo quidem audeat dicere aliquid suum:
quod magnum sit crimen ex ore monachi processisse. tunicam
meam, codicem meum, tabulas meas, graphium meum: et
cetera his similia. Nam si huiusmodi verbum per subreptionem.

B ij